



1733 22
15

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
VERTIGINE

QVAM
ADVENTE NVMINE DIVINO
ATQVE AVCTORITATE
GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ

ALMA REGIA FRIDERICIANA
IN
PRÆSIDE
DN. D. JOANNE JVNCKERO

PROFESSORE MED. PVBL. ORDINARIO
DOMINO PATRONO AC PRÆCEPTORE SVO OMNI
PIETATIS CVLTU VENERANDO

PRO LICENTIA
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS
HORIS LOCOQUE CONSVENTIS

Ad d. Sept. Anno MDCCXXXIII.
PVBLICÆ DISQUISITIONI SVBMITTET
JOANNES NICOLAVS HOFF
WERTHEIMENSIS FRANCUS.

HALÆ MAG DEBURGICÆ,
Typis Iohannis Christiani Hilligeri, Acad. Typogr.

ANNO MDCCLXV
E[st] A[dam] Q[ui] O[ste] N[ost]R[us] I[usti] T[er]R[ific]A
I[usti] C[on]S[ec]U[er]T[er] A[dam] Q[ui] O[ste] N[ost]R[us] I[usti] T[er]R[ific]A



PROLOGVS.



N litteratorum laboribus illi me-
rito habentur vtilissimi, quorum
fructus non in pauciorum modo,
sed omnium ferme redundare po-
terunt vtilitatem. Itaque cum id
mali & eruditos & alios homines
otiosos teneat, vt morborum gene-
ribus s̄epius tententur, quam ruricolarum & militum
turba; æquissimum esse duximus, quo potius illis, quam
his succurrere studeamus. Non attingemus in præsen-
ti illos otiosorum morbos, a quibus lectulis adfixi di-
scruciantur s̄epissime. Non adferemus nodosam poda-
gram, aut diros calculi dolores; non phthileos cala-
mitosum malum; neque hypochondriaci mali insultus.
Sed alicuius symptomatis mouebimus mentionem, quod
alios morbos e vestigio sequitur, quoque doctos ma-
gis quam plebeios; pertinacius opulentos quam paupe-
res diuexare solet. *Vertiginem* putamus, malum illud
& vulgatissimum & molestissimum. Huius enim si re-

A 2

spicia.

spiciamus indolem & caussarum peruestigationem , non
dum ex omni parte ab auctoribus factum videtur satis.
Præterimus antiquorum & superiorum seculorum scri-
ptores medicos , qui , quantum in caussa vertiginis ex-
plicanda allucinati sint , norunt , quibus horum scripta
euoluere muneris iniunxit ratio . Acceptum equidem
referimus industriae Virorum recentiori ævo floren-
tium illud , quod caussam vertiginis materialem , humo-
rum scilicet abundantiam , in lucem protulerint : verum
enim vero , cum etiam eorum *defectus* ; cum *moralis asse-
statio* : cum *status* denique *mixtus* inducere possit ver-
tiginem : non omnem plane operari nos perdituros
credimus , si tam supplere quam illustrare magis mor-
bi huius theoriam poterimus . Exercitationes sane non
mediocriter suspenso tenuit haec tenus illud phœno-
menon , vbi nempe videbant , vertigine corripi non ple-
thoricos solum , sed etiam emaciatos & viribus exau-
stos , perpecciss prius morborum calamitatibus . Sed am-
plius quid est , quod Medicorum exercere solet ingenia ;
vertigo nimirum , humorum neque abundantia , neque
defectu nitens , adeoque sine materiali causa , aut leui-
ter tantum urgente , adfligens . Jam horum *φαινομενων*
caussam reddere *formalem* , negotium , si quodpiam aliud ,
impeditum erit , ac explicatu longe difficultimum ; si
non in subsidium aduocetur , tamquam hypothesis , illa
sententia , quam *acta medica Berolinensis de nervis* , quod
non e *cerebro* sed e *meningibus* ortum sumant , non sine
rationibus contenderunt . In nostro autem minime se-
det animo , acsi anatomicorum peritissimis contra ire ve-
limus ; sed hoc potissimum in votis est , vt iidem quo-
que rem pensare & ansam ad scrutandas curatius ner-
uorum

vorum origines inde sumere constituant. Notum enim est, quod de neruorum origine etiam exercitatiſſimi anatomici non dum prorsus conueniant. Nemini tandem hanc de vertigine obtrudimus ſententiam, verum hoc impeneſe optamus, vt ad investigandam huius morbi rationem *formalem* allici ſe patiantur Medicorum plures. Exemplum praeiuit *D.D. Hancke*, qui in peculiaři scripto, *Hauniae* hoc anno germanice edito, formale vertiginis extricare tentauit; conatu non minus laudabili, quam imitatione digno. Nos vero, quemadmodum nobis ſumſimus, ita & aliis vltro relinquimus, ſentiendi &, quod ad artis incrementum maxime valet, emendandi arbitrium. Fxit benigniſſimum Numen, vt iſti nostri conatus ſuis non deſtituantur viſibus.

DE

VERTIGINE.

§. I.

Acturis de vertigine id nobis incumbit offici, vt, quid hoc vocabulo intellectum velimus, prius tradamus perſpicue. Est autem vertigo *adū imaginatoris perturbatio, a cauſis, ſive physiſis, ſive moralibus, ſive mixtis originem ducens: ſub qua vel ipſimet egri, viſu plus minus obnubilato, in gyrum ſe agi, vel externa obiecta, etiam clauſis interdum oculis, circum rotari credunt, & non raro in terram prolabantur.* Latini hunc morbum a vertendo nominarunt, ab accidente illo, quod numquam abeft,

A 3

quo,

quo turbine quasi continuo omnia circumagi videntur obiecta. Græcorum contra σκοτωμα, σκοτοδινια, amplius quid exprimere velle, certum est.

§. II.

Vertiginem non vnius esse indolis, practicis iam pridem obseruatum est: vnde *sanguineam* hic, *phlegmaticam* alter se curasse adseuerat. Quo autem id non volunt, ac si ratione cauillarum a se discreparet alterutra; sed hoc modo innunt, quod pro diuersitate subiectorum, adeoque & temperamentorum, etiam varia detur crasis humorum; a quorum commotione & importuna congestione res ferme dependet vnicet. Sed frequentior fit vertiginis *idiopathica*, nec non *symptomatica* mentio; quæ distinctio, non subiectorum, sed cauillarum, paulo inferius explicandarum, nititur differentia. Idiopathica vero proxime subiungimus vertiginem *haereditariam*, cuius longe parcus, ac experientia postulat, meminerunt Medici; licet in praxi vertiginibus calamitatis multum, Medico autem laboris plurimum adferat. Tandem vertigo, sive ipsa subiecta sive cauillarum species complexum, iam *mitior* est, iam *vehementior*. Mitior alias etiam dicitur *dios*: fortior vero, quam ab obfuscatione visus & obiectorum nigra & gyrum mentiente representatione, etiam in lecto cubantibus aliquando contingente, tenebris oculam appellant, græci adpositae nimis per *scotodiniam* exprimunt. Vbi vero cum iam recensitis circumstantiis grave illud symptoma complicatum visitur, quo pedibus æger insisterne nequit, labascere primum, deinde vero in terram procidere cogitur, vertiginem *caducam* vocamus. Tandem ratione *durationis* alia est *continua*, hoc est,

est, certa individua aliquot diebus aut hebdomadibus adfligens, nec citra medicationem facile cedens. Alia temporaria, quæ nec opinantibus contingit, & post interualla sponte rursus euanescit. Periodica, quæ certis anni temporibus iterato recurrit, & ultra consuetas horas, imo & dies, subiecta raro adficit. Restat habituallis seu inueterata, quam & continentem quidam dicere malunt, eo quod pauca interualla ægris concedat, quibus non adfligerentur.

§. III.

Enumeratis itaque vertiginum speciebus iam & ipsa videamus indicia quibus aut imminentis aut præsens se prodere vertigo solet. Ad plethoricos quod attinet, in illis non uno se exserit modo. Nam ubi abundantia sanguinis generatim, aut specialis ad caput virget restrietio; ibi subita sæpe & transitoria visus obnubilatio oritur, vasis manifesto inflatis, ac facie latius rubente. Porro caput terram versus inclinantibus id cerebro evenit, ut, dum sese erigunt, omnia circumrotari videantur, cum breui visus hebetatione, quod quibus piam & sine capit is inclinatione, sponte atque ex improuiso contingere afferat. Comites se interdum iungunt punctiones, quasi per transuersum adfligentes. Sedentibus aut decumbentibus sæpe nihil molestiæ oriuntur, sed stantibus omnia illico sub pedibus fluctuare ac loco cedere videntur. Fit nonnumquam, ut prægressa & durante oculorum obnubilatione homines plane in terram concidant. Qui autem ventriculi & primarum viarum quodam vitio laborant, quod phlegmatis admodum solempne est, illi, ob capit is cum ventriculo notabilem consensem, insignes in ventriculo experi-

periuntur alterationes, nauseam scilicet leuiorem, tensiones, flatulentiam, cardialgiam seu grauatiuam circa p̄cordia molestiani. Alii sentiunt dolorem in syncipite grauatiuum.

§. IV.

Plures esse illorum, quibus vertiginis expertibus viuere contingit, quam horum, qui ea corripiuntur, res est notissima. Cur vero omnes aut liberi non sint, aut omnes eadem non vexentur, merito disquiritur. Verum enim vero quæ subfit ratio, illico patebit, si attendamus primo temperamentum; deinde vitæ genus. Temperamentum p̄æ reliquis sanguineo-melancholicum ad vertiginem videmus dispositum, quia in subjectis eodem præditis plerumque status vrget plethoricus, sed ob admixtum temperamentum melancholicum, si otium p̄æterea accederit, sanguis *spissior* ac parum dilutus, adeoque minus fluxilis est. Qua de causa ætas senilis vertigini p̄æ juuenili obnoxia est. His positis congestiones, optima intentione susceptas, in vertiginosas vasorum cerebri & meningum distensiones abire videoas. Respectu vero *vite generis* primum locum obtinent otio diffuentes opiparisque lautitiis paſſentes genium; deinde *eruditorum vniuersa cohors*, p̄cipue, qui phantasie ac memorie vires crebro ac nimis atterunt: qui constituta sibi annorum periodo profectuum specimina edere anxie contendunt. His subiungimus eos, qui hæmorrhoidum vel mensium defecū laborant, aut euacuationes sanguinis consuetas neglexerunt. Præter autem temperamenti & sanguinis respectus vertigine etiam non numquam corripiuntur *cacoſtomaci* voraciores, item qui *ckronico* primarum viarum

rum vitio laborant. Dantur porro, qui circa ientaculi tempus, *ante adsumtum cibum*, vertiginem sentiunt: quemadmodum alii *post ingestum cibum* eamdem experiuntur. De *veneris & Bacchi* mancipiis res per se nota est. Item de illis, qui *nicaniana* fumum præter consuetudinem fistula fugunt. Denique illorum non obliviscendum est, quorum vires nimium *consumtae* atque exhaustæ sunt, siue nimiis sanguinis hæmorrhagiis, siue morbis grauioribus prægressis: his namque admodum solemine est, primis post superatum malum diebus scotodiniam experiri, titubare & plane concidere.

§. V.

Subiectis itaque vertiginosæ afflictioni obnoxiiis maximam partem enarratis de caussis etiam dispiciemus fortuitis, quas Medici *procatardicas* vocant; quibus positis vel concurrentibus vertigo facile inducitur. Eo iam pertinet ex alto in præcipitia prospectus, adspexit obiectorum per gyrum commotorum; quo & aquarum referas vortices. Carbonum ardantium halitus, vinum aut spiritus vini, sobrie licet, præter tam consuetudinem adsumta, commoratio ad mustum fermentans, odor suaevolentium; nempe florum quorundam, balsamorum, liquorum, resinarum & gumi, strepitus instrumentorum musicorum fortiter tectorum aut inflatorum, vociferatio vel inconditus multorum cantus, refrigeratio pedum, in paumentis præcipue lapidibus stratis, certus corporis motus in choreis, repetita gyratione sui absoluendus; vbi sane obseruari est dignissimum, quod vertigo tum quidem cauteatur, si rotatio v. g. ad vertiginem usque facta dextrorum, mox sinistrorum suscipiatur. Sessio in anteriori

B

cur-

currus parte, wenn man rückwärts sitzet; qui situs in quibusdam vomitum & vertiginem tenebricosam producit; nauigatio & tandem commoratio in aura libera extra conclave in subiectis admodum sensibilibus.

§. VI.

His præmissis ad vertiginis cauſas eruendas nos conuertimus. Si subiecta, quorum dedimus ſeriem, composito bene animo confideremus, neceſſum erit, ut concludamus, alias longe vertiginis cauſas eſſe, quam spiritus flatuosos in parte capitinis inani, vel neriis aut vaſis contentos: vel humores præter naturam in ipſo capite retentos: eorumque vapores a calore & motu reſolutos, Vid. *Valescus de Taranta in philon. chir. pharm. lib. I. cap. 9. p. m. 84.* Ita neque a lympha dependet, intima cerebri ſubeunte, aut a spirituum animalium metu, qui interdum tantus eſſe creditur, ut ſudorem exprimat. *Weppfer obs. 64.* Idem auētor etiam *αὐτοξιῶν*, perturbationem & distortas spirituum animalium vias, tamquam vertiginis cauſam in medium adſert. *Vid. obs. 63. 66. 67.* Aequo obſcurum eſt adſertum *Pet. Paul. Pereda*, qui ſic ſcribit: neque exiſtimandum eſt, ut fere omnes ſcribunt, vertiginem tunc fieri, cum spiritus flatulentus in cerebri veſtriculis inequaliter mouetur; ſed opus eſt, ut ille spiritus deſcendat ad oculum, ſed ante humorem crystallinum motum illum exerceat: aliter enim non adparebunt res in gyrum moueri. *Vid. eius ſchol. ad Paſchalii method. curandi p. m. 33.* conf. etiam *Duncani Liddelii Scotti ars medica p. m. 269.* item *Bierlingii Thesaur. p. m. 229.* Distinctius enucleare conatus eſt *Rud. Wilhelmi in diff. de vertigine Iene 1690.* habita, qui hoc modo tentit. p. 8. *Cauſa vertiginis immeſia* ſed proxiſma eſt inordinatus, utratorum, undulans, circula-

cularis & saepius hinc inde interruptus spirituum animalium motus, qui facit, ut obiecta exteriora etiam undulare, rotari & circumagi videantur. Tentauit idem Christ. Vaterus in peculiari de vertigine disputatione, in qua thesi II. non visum solumento sed & sensus internos falli contendit. Monens: illud non tribuendum esse obiectis, quod inest sensorio. conf. Ioan. Rad. Camerarii syllog. memorab. cent. XVI. N. 57. 58. 59. Ita Medicorum quiuis ex hypothesi domestica sentire non dubitauit. Sed quantum inde arti accesserit incrementi, illi norunt, quorum haec omnia diligentius scrutari, & si fieri potuisset, ad praxin applicare interfuit. Nos in praesenti vertiginis malum ex iis, quae subiectorum conditiones naturali plane methodo suppeditant, explanare adlaborabimus.

§. VII.

Vt vero ordine, & quantum fieri potest, perspicue rem pertractemus, vertiginis causam materialem remotam in plurimis ponimus statum *plethoricum*, qui raro humorum *dyscrasia* vacare solet, & in his caussa propior est *congestio sanguinis* versus *caput*. Proxima autem vasorum, a sanguine fortiter commoto, nimia in capite *repletio* & *distensio*. In casu autem sanguinis, siue per enormem haemorrhagiam siue per morbum prægressum *consumti*, vasorum nimius *collapse* caussam proximam constituit. Caussa *instrumentalis* sunt *meninges* & *nerui*. *Formalis* tremulus neruorum motus, quem, vti nos quidem iudicamus, a spastica meningum contraktione & remissione nanciscuntur. Quando enim vasa, ob sanguinem versus caput congestum, nimis repleta sunt: tum natura renisum spasticum per *meninges* suscipere cogitur, vt restagnationem humorum vel auertat,

vel vasorum distensionem moderetur. In casu autem nimiae depletionis seu virium humorumque amissionis, per morbos aut alio modo inductæ, natura itidem obligatur, ut vasorum collapsum motu tonico intenso præpediat.

§. VIII.

Isto autem meningum renisu & tonico-spaistica coarctatione, ad seruandum vasorum tonum & aqualem prouide instituto, genus neruorum, tamquam ramusculi e meningibus exorti, & in his nervus præcipue opticus, per intensionem & remissionem in tremulum concitatur motum (*wenn man an den Stamm schlägt, so gittern alle Neste*) qui cum tunicis oculorum, præsertim *vueæ & retina* communicatus, in humoribus, in primis *aqueo*, motum eiusmodi gyratorium efficere potest, ut hinc imago obiecti motu circulari moueri videatur. Rem adeo obscuram haud esse, vel inde constat, quia in statu vertiginis obiecta numquam in linea recta oculo se repræsentare nouimus, ob neruum optimum, motu tremulo affectum; qui motus vi structuræ oculorum, cuius cognitionem in lectore supponimus, tunicas & humores simul commouet; qua commotione, licet leuiter ad modum contingente, omnia obiecta necessario videntur moueri. Certum enim est, quod omnia illuminata obiecta in tunica *retina* se de pingant aut repræsentent. Quidquid autem obiectorum in retina se repræsentat, per oculorum humores transparere debuit. Si iam porro obiecta quiescentia adparent, quasi mouerentur, si corpus diaphanum, per quod transparent, mouetur: sequitur ergo, ut etiam obiecta vertiginosis ideo moueri videantur, quia in illis neri-

nerius ópticus, per hunc autem tunicæ & humores, per quos omnia visibilia obiecta transparent, mouentur. Placet quibusdam musculorum, qui mouendis oculis destinati sunt, peculiarem hic nominare motum, quem tamen nulli morabimur. Hæc autem proponere libuit, vt & alii, ad formalitatem gyrationis in vertigine curatius meditandam, invitarentur. Nam motus gyratorii *formale mechanicum* quilibet eo audius cognoscere gestit, quo constantius in vertigine hocce obseruatur phænomenon. Sed hæc de re in praxi nihil adferente commodi sufficiant. Quibus autem hisce facere satis non potuimus, illi cogitent, quod nemo ad hunc usque diem certas & apodicticas rationes dare potuerit, qui fiat, quod, cum oculi in omnibus ferme cum *camera obscura* conueniant, & in illis æque, ac in hac, obiecta omnia situ inuerso depingantur, hæc tamen a nobis erecta videantur. Tacemus reliqua visus phænomena prorsus singularia, quorum adhuc exspectamus explicationem; vbi obiecta alienis coloribus infecta; erecta inuersa; recta curua; quieta in motu constituta; remota propinqua, & in vicem versam, oculis interdum adparent. *Vid. Cel. Abrah. Vater's visus visus duo raffissima Witt. 1723.*

§. IX.

Quod si autem hypothesis illa de neruorum ex meningibus origine, quam ad explicandas vertiginis causas in subsidium hic vocauimus, prima fronte quibusdam videretur peregrina, dubia, nec satis firma, illorum in gratiam aliquot adponemus aphorismos. Primum enim motus tonicus est totius vitaæ æque ac sensus & motus fundamentum. Nam ope huius motus

B 3

con-

constringuntur & relaxantur partes solidæ moliores; quo fit, vt humores propriantur & circulus eorum continuetur. Sub ista continuatione contingunt secretiones; quæ, dum rite administrantur, ac iugiter succedunt, conseruatur vita & sanitas. Deinde motus tonici subiectum proprium est fibra, ex cuius adgregatione & textura membranæ, musculi & tendines sunt, relaxationi & constrictiōni inferuentes. Fibra enim est pars simplicissima, omnium partium reliquarum constructioni destinata, & ex substantia sua tensionis seu motus tonici capax. Porro in fœtus formatione prima & subtilissima rudimenta habent motum & sensum. Ergo etiam adfunt rudimenta alicuius membranæ exquisitissimi sensus. Nititur hoc adsertum experientia & *avropha*. *Fracassatus ad Malpighium* scribit: se carinam pulli, adhuc exigua galba inuoluti, acu tetigisse, quæ illico se contraxerat, cum tamen sola tunc lympha cerebri vices expleuerit. Vnde necessario consequitur illud, quod tunc sensu tactus prædictum fuit, in subtilissimis adhuc rudimentis membranam fuisse extensam, longe subtilissimam, tensionis capacem; cum alia materia in tanta teneritate tensioni apta, excogitari nequeat. *vid. Malpighius*. Quum vero meninges sint illæ exquisitissimi sensus membranæ: ergo & radix senfundamentum primum sensus & motus per corpus vniuersum. Huius aphorismi veritas patebit ex probatione aphorismi sequentis, quia causa effectu non potest esse deterior. Denique si meninges sunt sensus & motus principium, sequitur præcipua sensus & motus instrumenta, scilicet neroos, etiam ab illis ducere originem. Nam meninges natura & substantia sua ad illas functiones,

nes, quibus funguntur nerui, longe sunt aptissimæ; sensus enim & motus citratensionem instrumenti alicuius, motus tonici capacis, fieri nequit. Eiusmodi vero instrumentum aptum cerebrum adeo molle suppeditare nequit, ergo membrane illud circumuestientes. Confirmat hoc autopsia. Patentur enim anatomici, neruos nimirum in origine esse flaccidos & molles; verum simul ac e cerebro egressi, formato prius ganglio, amittere medullaris substantiæ consistentiam, ac in progressu per corpus fieri duros. His rationibus addimus cerebri & medullæ spinalis conditionem, ad tensionem ex tota sua substantia ineptissimam; quæ eo minus motus tonici capax, quo humidiorem esse in omnivm confessio est. Nam e radice molli, humida & flaccida quis propagines firmas, duras & motus tonici capaces inde orituras, sibi facile conceperit? His omnibus denique accedit impar vtriusque functio. Consentunt hic Medici & Anatomici, per cerebrum (sive glandulosum sive vasculosum illud concipias) secerni subtilem liquorem, quem spiritus nomine insigniunt. Quo posito cerebrum soleme corporis animalis collatorium esse, vere adfirmabimus. Nerui contra sunt corpora fibrosa, naturaliter perpetuo tensa, sensui & motui partium corporis ab intimis ad extrema dicata. Qua iam ratione corpora, quæ & substantia & functionibus inter se adeo diversa sunt, ab inuicem dependere vel oriri possint, qui libet veritatis studiosus consideret.

§. X.

Immo largimur vltro, quod cerebrum neruorum caussa structum sit, & illius humectatione efficiatur,

vt

vt nerui officio suo defungi, meningumque motus perpetuari possint. Arida enim fibra ad motum est inepta; humida vero, prout necessitas id postulat, potest extendi. Testantur hoc ipsum infantes sine cerebro natu, sensu quidem & motu gaudentes, quibus tamen, ob cerebri atque inde perpetuae humectationis defectum, præmature pereendum est, *vid. Acta Medic. Berolin. decad. I. Vol. VIII. p. 46.*

§. XI.

Ceterum non moramur illorum dubium, qui coactionem meningum cum cranio nimis arctam vrgent, ac inde motuum gradus eis denegare contendunt. Illis enim, vt curatius structuram meningum inspectent, & quod præter naturam in quibusdam contigit, ultra modum fortassis, a statu naturali distinguant, suademus, addita obseruatione: si pulmonum adhæsio ad costas respirationi haud officit, idem, vt de meningibus ratione sui motus statuatur, necesse est. Silemus singularem adhæsionis secundum naturam factæ vsum. Si enim isto in loco, vbi meninges cum basi cranii coaluerunt, motuum præternaturalium in neruosis inferioribus partibus non esset quasi refractio, multo frequentius in morbis spasmodicis inferiorum viscerum caput haberemus consentiens, & vice versa.

§. XII.

His itaque præmissis, & quasi in parenthesi inspersis, quasdam repetemus circumstantias, quæ certa subiecta vertigini reddere possunt obnoxia; non neglectis caussis fortuitis, hunc adfectum ibidem facile inducentibus. Si autem vertigo actus imaginorii habetur perturbatio: disquirendum erit prius, quid sit imaginatio?

tio? Deinde quid imaginationis perturbatio? Ad primum quod attinet: imaginatio est facultas animæ, rerum absentium perceptiones viuide producendi. Ad secundum: perturbatio imaginationis est erronea, confusa & cum re, quam anima sibi repræsentare contendit, minus conueniens perceptio, a caussa partim materiali, partim extraordinariis motibus proueniens. Quibus antea monitis subiectorum, quæ §. 4. recensum, non percurremus indiuidua; cum in iisdem vel repletio vel nimia caussam extraordinariorum motuum constitut: quorum consecutarium est meningum tonico-spaistica coarctatio; hac adficiuntur nervi optici, quibus certo motu, *vid. §. 8.* adfectis turbatur visus, quæ omnia tandem principio agenti ansam subministrant, varia sibi, licet erronee, præfigurandi, secundum estimationem potius moralem, quam sensibus oblatam perceptionem. Quod obseruasse vel maxime iuuabit in explicatione vertiginis, a caussis quibusdam procatarcticis prouenientis; vbi sape motus centur, non propter humores abundantes aut deficientes, sed *ob peculiarem estimationem*, quam peculiares sequuntur *motus*: cum alibi mucus præcedant estimationem. Vedit aliiquid suo iam tempore *Christoph. Schelhammer de vertagine* §. 3. 4. qui vertiginem symptomata facultatis imaginatricis depravatae adfirmat, & phantasiam non per essentiam, sed per consensum adfici docet.

§. Xll.

Adplicemus vero, quæ de formali vertiginis diximus, ad casus singulares, vbi non abundans, non deficiens acculari potest materia, sed sola principii a-

C

gens

gentis *estimatio*. Ponamus subiectum , non plethoricium , non viribus & humoribus exhaustum , in turri quadam constitutum , prospicere deorsum in præcipitium. Primum horret profunditatem , timet ac periculum præsens imminere credit. Deinde obnubilatur visus , retrahit pedem , queritur de vertigine. Quare & vnde quo^s isthæc omnia? remouimus cauſam materialēm , & tamen obseruantur motus extraordinarii. Quæ horum motuum cauſa est? falsa *estimatio* seu fictum , quod tamquam verum metuebat periculum. Et hic probe recordemur necesse est , naturam siue verum siue fictum vrgeat periculum , ad illud superandum ac felicius eluctandum , numquam aliis vti posse armis , nisi partium fluidarum & solidarum mollium motibus. Hoc obseruato videamus , qui fiat hoc in casu vertigo. E prospectu ex alto in profundum imaginarium adest periculum ; hoc imminere animaduertitur per visum ; qui tamquam primus mali nuncius congestionibus ad caput excipitur , malo opponendis , & hisce nervus opticus , vti §. 8. significatum est , adficitur : sic visui offunditur caligo , vt videndi exercitio per moras priuatus eo celerius locum , vitæ periculum minitantem , deserat , atque suæ consulat saluti. Non alio se res habet modo in nauigatione , sessione in anteriori currus parte , *beym rüttwärts fahren* , in eminus adspiciendis rebus vorticosis & reliquis. Rem isthanc eo minus mirabuntur ii , quibus in praxi obseruare licuit , quod idem plane accidat *hystericis* , *cephalalgia* & clavo hysterico obnoxii. Hæ namque in *cephalalgiam* pertinacem eo momento incidere solent , quo vel terrore per-

percelluntur, vel rixas audiunt, vel singulare certamen enimus conspiciunt, vel quod notatu dignum est, in præcipitia oculos defigunt. Quis & qualis iam nexus esse potest inter altercationes, dimications mutuas, & ex alto in præcipitia prospectum? nullus profecto. Ergo moralis principii agentis æstimatio est; qua obtinente a sensibilibus istiusmodi subiectis causa imminentis configitur periculi: ad quod declinandum, & quasi propulsandum, motus illico augentur, & ad caput ex consuetudine directi inueterati mali, cephalalgiae scilicet, aperiunt scenam. Hæmorrhoidariorum quosdam, occasione ita ferente, eadem experiri, notum est, nobis etiam non monentibus. Quod observasse vel ideo iuuat, ne quis sexus sequioris peculiarem sensibilitatem hic opponat, & in viris aliter se habere suspicetur, ac consequenter moralis æstimationis in his phænomenis existentiam in dubium vocare satagit. Ecce cur toties podagræ & calculi furentes recurrent cruciatus, quoties ii, qui his misere adfliguntur malis, vel ira excandescunt, vel animo compauescunt?

§. XIV.

Tandem explicatis sufficienter caussis ad *prognosin* iam properemus, vbi sequentia notamus hypomnemata. Vertigo *idiopathica* plus difficultatis in curatione inuoluit, quam *symptomatica*; sed hæc frequentior est illa. Datur vertigo ex motuum repetitione seu consuetudine. Vertigo cum symptomat sit, sublato morbo primario facile tollitur, immo sponte euaneat, nisi per consuetudinem in habitum deducta sit. Solis externis topicis & elonginquo petitis artibus vertiginem

C 2

cura-

curare velle, frustraneum est. Vertigo in quibusdam cessat, postquam conuincantur de vanitate caussarum, quibus in se vertiginem produci posse persuaserunt. Vertiginem saepe spontanea narium hæmorrhagia ad tempus tollit. Vertigo in multis plethoriciis sola sanguinis depletione artificiali curari potest. Vertigo *fortuita* per sublationem obiectorum aut mutationem corporis situs, aut circumstantiarum, quæ ad eam disposuerunt, promte tollitur. Vertigo quam *habitualē* appellant, mitigari, raro autem curari potest. Vertigo *hereditaria* curatur rarissime. Quibusuis vertigine laborantibus, nulla habita ætatis aliarumque circumstantiarum ratione, malum euentum; hoc est, paralyсин & apoplexiā prædicere, artis experientiæ indicat defectum. Iuniores infra tricesimum annum constitutos, licet a vehementiori tentatos videoas vertigine, minus tamen periculi portendit iisdem. Sed si ingentes accesserint animi commotiones; si vita sedentaria; periculum est. Iuiores valde plethorici, sine prudente consilio & medicatione sibi relicti, quos vertigo subito ac vehementer corripit, vel in quibus inualescit, aliquando in epilepsiam incident. Senes, quos frequenter, quos cum impetu ac sine ullo ventriculi consensu, vertigo inuidit; illi, cur apoplexiā metuant, onusino habent. Vertigo cum cephalalgia nimium complicata apoplexiā minatur sanguineam: interdum vero febres inflammatorias vel affectus arthritico-spaſticos in partibus superioribus. Vertigo hypochondriacorum quemadmodum post eruptionem hæmorrhoidum cessat, ita & hysteriarum mensibus rite succedentibus æque feliciter tolli-

tollitur. Vertigo nimii hæmorrhoidum ac mensium fluxus comes, si prudenter ac caute tractentur primarii affectus, nullum periculum portendit. Sic etiam vertigo cum flatulentia, cardialgia & nausea coniuncta, non est periculosa: in senioribus tamen viam munit ad paralysin & apoplexiā. Vertigo consensualis hypochondriacorum aut hysteriarum, vbi menses iamdum cefauerunt, sit affectus plerumque habitualis & difficilime curabilis. Ex colore faciei cutis rubro, purpureo & atro aut maniam, aut epilepsiam, aut apoplexiā in vertigine præ sagire velle, tentamen est experientiæ repugnans. Vertigo ab adstringentibus inducta, in his curatur promptius, in aliis difficilius. Plethora ex quibuscumque tandem caussis vertigine vexati, si venæ fætione prorsus respuant, curari pon possunt; nisi quidem vita genus satis laboriosum eligant.

§. VX.

Ex subiectorum & caussarum attenta consideratione exercitatus Medicus quiuis facile formare poterit indicationes, indicanti apte conuenientes seu adproprias. Si enim obferuat, vertiginem esse symptomam, & in affectum porro, quem illa comitatur, inquirit, eumque percurat, breui ipsam quoque vertiginem sublatam videbit feliciter. Loquimur autem de vertigine, materialibus caussis innixa. Nam quæ a moralibus dependet, medicationi tam facile non auscultur. Itaque, vbi oppletio seu plethora congestionibus ad superiora scopo depletorio vrget, Medicus naturam sequitur hodegum, & arte illud effectui dare nititur, quod hactenus intenderat natura. Sub initium ergo blandioribus

& per epicrasis laxantibus primas regiones abstergere & præcipue humores reuelare studeat. Deinde pediluuia subiungat, & venæ sectionem vltioris diuersionis cauſa in pede fieri iubeat; parum sollicitus de ænigmate illo, quod incongruum vene sectionem in hoc morbo prætevit, eo, quod facta detractione sanguis sale suo volatili vrinoso priuatus reddatur minus fluxilis; quod radix morbi non euellatur; quod cauſa ſepe in primis viis haereat, quodque inconsiderate tum actum eſſet, ſi olla feruente iuſculum effundere velimus; & quæ ſunt huius commatis plura. Profecto qui experientiam respicit, de venæ ſectione, in multis repetenda, non dubitabit. Haec conſirmant varii caſus fortuiti, qui vertiginosos per haemorrhagiam, vulnus ſecutam, ex voto reſtitutos commemorant. *vid. A. N. C. vol. I. obſ. 68. p. 119.* Sanguine ventilato conducent temperantia nitroſo-falina, addita cinnabaris portione, ſæpius adſumenda: ita tamen, vt neque laxantia neque pediluuia intermittantur penitus.

§. XVI.

Præter pediluuia non ſpernenda etiam ſunt alia externa, tam diſcussionem, quam reuulsionem promoventia. Quibus intentionibus ſatis facere poſſunt camphorata, & in ſubiectis phlegmaticis ſpecies pro cucupha, ſalia volatilia circumſpecte applicata; clyſteres, frictiones pedum cum ſale & aceto, tonico-neruinis ſuo etiam tempore applicandis. Sicuti vero faburra vel cruditates peccarent primarum viarum, illis corrigendis Medicus nauare debet operam per ſalia digestiua & radicum resoluentium pulueres. Deinde euacuatio erit

rit procuranda, siue per emesin, siue per catharsin. Si tamen flatulenta subefset ventriculi distensio, vomitum cire, omnino effet inconueniens, quoniam facili negotio flatulentia anoterica habitualis induci & anxietates cardialgicæ augeri possent. Propinanda erunt stomachica selectiora & diæta obseruanda moderate aromaticæ, roborando ventriculo perquam apta; minus autem commendanda subiectis vertigini *sanguineæ* obnoxii, iu quibus vtpote diæta talis calidior & vinosa facile motibus orgasmicis ansam præbere & congestionum molestias procreare solet. His ergo conuenientior est diæta tenuis, eupepta, potus dilutus & temperatus, adfectuum animi coercitio; reperitis subinde remediis, quæ supra indicauiimus. Ceterum qui congruis per annum venæctionibus & motu corporis placido, quotidie continuando, obuiam malo ire voluerit, is prophylactice & curatiue tantum non semper fine suo feliciter potetur.

§. XVII.

Vertiginis, quæ vel ob humorum abundantiam vel harentes in primis viis cruditates exoriri soler, vidi mus curationem. Iam vbi humorum viriumque *deflusus* vrget, alia obtinebit ratio. Valent nimurum hic bene nutrientia, gelatinosa, euchyla; interpositis analepticis & partium tonum restituentibus. Necesum est, vt animus quoque curas ac cogitationes in rebus non defigat, vt secors futuriagat, & ab iracundia, mœrore ac metu abstineat, &, quidquid ægritudine clam adficere animum potest, refugiat

§. XVIII.

Vbi *causæ mixtæ* vertigini ansam porrigunt, vt tam

tam physica, quam moralis accusari queat, ibi secundum indicationes, superius positas, procedendum; ita tamen, vt saniora instillando vanus metus, imaginationem turbans, quoquis modo adimatur, & obiecta meticulo-sitatis adeoque etiam vertiginis caueantur. Quia tamen in subiectis ceteroquin sanis, sed sensibilio-ribus, sola sepe *estimatio* opinionis errore pericula fingendo causam vertiginis vnicce constituit; *estimationem* corrigentibus opus erit, & habitus contrarius inducendus: hoc est, obiecta, hactenus reformidata, saepius usurpanda oculis; occasiones ad vertiginem alias disponentes arripiendæ, vt iis adsuecant & aliter sentire discant. Sic omnis metus, turbatæ imaginationis origo, pedentim euanescat. Huius rei experimentum habemus in pluribus, qui a sessione in anteriori currus parte vertiginem alias experti, a repetito autem tali situ liberati sunt. Sic tirones eorum, quorum opera in ponendis tectorum imbricibus locatur, fabrorum item lignariorum & murariorum discipuli, sub initium tirocinii sui, quoties non conqueruntur de vertigine: verum, frequens in altis commoratio metum animis eximit, & deerrantem *estimationem* re ipsa emendat. Idem dicendum de affectu vorticorum, vociferationibus, instrumenrorum fremitu & reliquis. Faxit autem Deus, vt hic quoque labor in vertiginantium multorum valeat salutem!




Halle, Diss. 1733

ULB Halle
004 928 121

3





1733 22
15



Farbkarte #13

TO INAVGVRALIS MEDICA
DE
TIGINE
QVAM
TE NVMINE DIVINO
QVE AVCTORITATE
FACVLTATIS MEDICÆ
^{IN}
REGIA FRIDERICIANA
PRÆSIDE
ANNE JVNCKERO
RE MED. PVBL. ORDINARIO
NO AC PRÆCEPTORE SVO OMNI
ATIS CVLTV VENERANDO
LICENTIA
DICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
VS LEGITIME IMPETRANDIS
S LOCOQUE CONSVENTIS
Sept. Anno MDCCXXXIII.
ISQVISITIONI SVBMITTET
NICOLAVS HOFF
RTHEIMENSIS FRANCUS.
—
E MAG DE BVRCICÆ,
CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

B.I.G.